

Disputatio Pandect. IV.
DE
CITATIONE.

Quam
D. O. M. A.

PRAESIDE

VALENTINO GVILIELMO
FORSTERI IC. FILIO V. I. D. IN
celeberrimo Leucoreo Lycæo discu-
tiendam dedit commilitonibus

M. GODFRIDVS MARTINI
TORGENSIS.



VVITEBERGÆ

Typis Cratonianis, Anno 1601.

Diss. jur. civ.

82,12

Dictionario Paradoxi. IV.

CLAVIUM

FRANCO

FRANCO

FRANCO

FRANCO



ΣΥΝ ΔΕΥΤ.

DISPVATIO PAND. QVARTA

CONTINVATIO.



*V*ando de jurisdictione judicis & competentia fori constat; tum initium omnium actionum ab in jus vocatione proficiscitur.

Ita Dd. plerumq; per §. fin. Inst. de pan. tem. litig. Atqui videatur hoc alicui suspectum. Videatur dicendum editionem processisse. Annon enim leges Vlpiani sub tit. de Edendo posita, desumpta sunt ex lib. 4. ad Edictum; cum ejusdem centones sub tit. de in jus vocando sint ex lib. 5. Annon Paulus lib. 3. ad Edictum scripsit de Edendo; tum demum in lib. 4. de in jus vocando? An non idem indicat series & ordo Cod? Ita docuit certè Ian. Bosian. Azonis praeceptor ante quadringentos & plures annos; ita defendit hodieq; Giphon. in comment. de divis. jur. th. 144. ita magnus ille Cujac. lib. 10. obs. 10. & Vultejus ad pr. Inst. de act. n. 44. & lib. 2. I. R. 27. Hæc dicat aliquis. Quæ non urgent. Ordine cogitandi quidem & preparandi se, sive intentione prior est editio; at ordine agendi faciendiq; sive usu non item. Sic sanè magne Donelle. Nam & ipsemet Justinianus ait, omnium actionum instituendarum principium ab eâ parte edicti proficisci, quæ est de in jus vocando, d. §. fin. Inst. de pæn. tem. litig. & alibi, offeratur ei, qui in jus vocatus est, libellus. Επειδὴ δὲ ὑπομνησις προτερεῖ, δεῖν τινι. NOV. 53. c. 3. auth. offeratur C. de litis contest. Et suadet hoc series Digestorum, quæ serici Cod. opponi debet. Etenim in vetere jure digerendo religiosius ordo servabatur. Et edictum perpetuum nihil ferè spreto processu judiciario. Et hic ordo ffororum ne quidem est unus cum ordine edicti perpetui, sicut Vlpianus & Paulus libris ad Edictum testatum faciunt. Verùm recessit, quod viderent compilatores, edictum perpetuum ordine cogitandi niti, non etiã ordine procedendi. Sicq; docent magni quoq; Icti Iohan. de Blanasco, qui vixit anno Christi 1256. itemq; Hugo Donellus 23. comm. c. 3. Et ad Rubric. C. de edendo. n. 5. Petrus Pyth. in collatione legum Mosaicarum & civilium ad tit. 2. pag. 80. VVesemb. in parat. ad t. de Edendo. Et aliàs

Interpp. pleriq;. Adde Donell. 17. comm. c. 3. in fin. Cujac. in parat. C. de edendo. Et quæ nosmet fusius diximus in parat. ad tit. de edendo. Possis tamen etiam dicere, actionis editionem precedere & sequi in jus vocationem posse. Quod defendit Ericus Hedemannus disp. Pandect. 5. th. 25. Et video magno cuiq; pratico non displicere. Plane hic ordo servatur in practica, ut primum libellus sive supplicatio presentetur judici: Et postea super eo expediatur citatio, Marant. part. 6. in c. de libelli oblat. in fin. Baptista Aſin. in praxi judicior. part. 1. §. 5. c. 3. Adde Bellonum in repetitione C. de edendo, nu. 53. Ayres. c. 3. obs. 2. Chil. Konig c. 24.

THESIS I.



Citatio sive vocatio est denunciatio, quâ alicui denunciatur, ut in loco apud judicem adsit; & continet in jus vocationem & citationem specialiter dictam; tanquam duas distinctas species.

Dico denunciationem per l. 5. de pen. l. 7. C. quom. & quand. jud. l. 29. §. fin. l. 53. l. 56. §. si presente, l. 74 §. 1. de Evict. l. 4. l. 19. de testibus & c. Adde Donell. 23. com. 2. & ad §. appellamus, Inst. de act. Dico; ut apud judicem adsit, nimirum, ut Magistratum simul & datum sive pedaneum judicem includam; quemadmodum judicis vocabulum accipitur pro Magistratu in l. 13. de usufr. l. 34. Solut. matrim. l. 1. §. in causis l. 28. de admin. tut. l. 2. §. prætor ait, Qui satisd. cog. per l. 15. C. de judic. l. 8. C. Quomodo & quando judex & c. Quod autem dico, citationem generaliter acceptam continere in jus vocationem & citationem specialem, id probat d. l. 15. C. de judic. l. 8. C. Quom. & quando jud. l. 10. de publ. judic. l. 73. de judic. l. 7. de integr. restit. l. 20. de testib. Atq; hoc probat etiam nativa propriaq; vocabuli significatio, quæ denotat idem quod vocare. Atq; ita etiam accipi videtur apud Ciceronem 4. act. in Verrem, & in orat. pro domo sua. Imo præter hæc etiam apud Plautum in Curcul. ubi Planctium ad Lenam sic loquitur:

Ubi

Ubi tu es, qui me convadatus, veneris vadimoniis?

Ubi tu es? qui me libello veneno citavisti &c.

Quod ita serè videtur Horatius exprimere in Ecl. 1.

Ille datis vadibus, qui rure extractus in urbem est.

Sic etiam videtur apud Livium accipi lib. 1. dec. 1, lib. 7. dec. 3 item apud Sueton. in Tyberio & aliis multis locis, quemadmodum ea quidem inducit eruditè Ioh. Robert. 3. sent. 7. Dico tanquam duas distinctas species. Nam omninò differt à citatione in jus vocatio multis quidem modis, ut exemplis demonstrat Vultei in discept. 1. pag. 19. & in §. præjudiciales Inst. de act: Hedemanus, Quem omninò vide in disp. 4. pand. th. 3. Adde Duaren. 1. disp. 7. & 53. & ad h. tit. c. 2. Coras. lib. 3. Mist. 18. Haersolt. act. 8. nu. 2. Govean. 1. lect. c. fin. & ad l. 13. de jurid. per l. & de interrog. in iure fac. per l. 1. C. ne quis in sua causa judicet. Sanè Dd. communi consensu & opinione, quæ etiam in judicio Camera Imperialis probatur receptum est, ut quod olim in jus vocare, id hodie sublato juris & judicij discrimine citare, dicatur. Dn. LVDOV. SCHVARTZMEIER in pr. C. ad tit. de in jus voc. Unde censent etiam aliqui, totum hoc edictum de in jus vocando non videri amplius esse magni momenti; adeò ut prohibita antea persona hodie sine venia citari possint, VVesenb. in par. n. 12. Cujac. 10. obs. 10. Ravard. ad ll. 12. tab. c. 5. Haersolt. act. 8. n. 14. Menoch. de arb. jud. cent. 5. cas. fin. Schneidevv. ad §. penales num. 45. Inst. de act Hartm. Hartm. 2. præct. obs. tit. 54. obs. 44. Mynsing. cent. 4. obs. 92. & cent. 6. obs. 7. Geil. lib. 2. obs. 56. & seq. & lib. 1. obs. 60. Cammer ord. p. 3. tit. 43. Goedd. disp. pand. 3. th. 2. Dominus Zanger. de Except. p. 2. c. 8. nu. 30.

THESES II.

In jus vocatio est vocatio ad eum, qui jurisdictioni præest, juris experiendi causa.

Sic utiq; Vultei decet dispersas illas definitiones conjungere. Sed & divellamus, quamq; seorsim, nihilominus dicetur rectè, quemadmodum hoc eruditè demonstrat Donellus. Vide l. 1. ff. h. t. §. fin. Inst. de pen. tem. litig. Donell. 23. com. Duar. 1. disp. 1. & ad h. t. c. 2. Vult. 2. I. R. 26.

THESES III.

In jus vocari possunt omnes, qui non sunt excepti. A. Excepti verò sunt quidam in totum; quidam sine permisso

A 3

sive

siue veniã Prætoris. B. In totum prohibentur in jus vocari Magistratus maiores C. Pontifices, dum sacra faciunt; D. qui propter loci religionem se inde movere non possunt; E. qui equo publico in causa publicâ transvehatur F. & aliæ quædam personæ. G.

A. arg. l. 8. de accus. l. 43. §. 1. De procurat. l. 12. De judic. cum infinitis aliis. Dependet hoc, ut sæpe diximus ex eo juris privati principio, quo cuiq; facere licet, quod non prohibetur.

B. l. 2. & duab. seqq. juncto §. 1. l. 4. ff. b. t.

C. nim. qui non sunt sine imperio aut potestate. l. 2. h. t. ubi rationem posuimus in dignitate Magistratum l. sed etsi 26. §. 2. Ex quib. caus. major. Minores licet in jus vocare, l. 32. de injur. l. quemadmodum §. magistratus ad l. Aquil. l. 2. h. t. Adde Donell. 23. com. 3. Haersolt. act. 8. nu. 6. Sed & majores licet interdum veluti pro criminibus, quæ in officio commississent l. jubemus C. ad l. Iul. repet. Imò licet hodie ferè semper. quoniam Magistratus non amplius sunt annui, sed ferè plerunq; perpetui, Duaren. ad h. t. c. 3.

D. Non intellexit Vlpianus de Missidicis. Et sunt hæ nugæ glossatoris; Eiusdem farinae est, quod in alio loco Vlpiani, ubi is dicit, Ictos meritò nominari sacerdotes, idem Accursius annotat sacerdotum esse facere missas, in l. 1. de just. & jur. Ausim asserere Vlpiani tempore Missæ vocabulum non extitisse; vel certè non invulgari sensu. Sed & Vlpianus principia capitæ Christianitatis ignoravit, imò persecutus est odio. Lactant lib. 5. Inst. c. 11. arg. l. 1. de var. & extraord. cognit. l. 13. de offic. præsid. Dn. Marquard. Freber. in dissert. de Numism. cens. pag. 3. Accipiamus igitur hunc locum de veteribus Ethnicis Pontificibus Romanis juxta mentem Vlpiani. Iuxta mentem compilatorum fortassis Accursii doctrina procedat. Vide Mynsing. in notis ad Zas. in l. 2. ff. h. t. Adde Coras. 1. Misc. c. 10.

E. Si legis authorem Vlpianum consideras, non verum erit, quod Accursius hic de monachis & monialibus tradit; siu compilatorem Tribonianum, plus etiam quàm verum. Vide Nov. 79. Duaren. ad h. t. c. 4. Coras. 1. Misc. 10.

F. Non facit huc, quod de præcone Theobaldo comminiscitur Accursius. Nihilomagus quod Hotomanus de censu equestri; Nihil etiam quod de transvectione Rullianicâ Budæus, Duaren. Cujac. & alij pleriq;. Nam

TRANS.

transvectio, de qua isti, fuit trecentis ante Rullianum annis. Et tempore Vlpiani non amplius fuit; Et equites Vlpiani tempore equo proprio stipendio vehebantur. Non te decipiant illi magni IC. qui textum emendaturi, legunt in Capitolium vel in Castoris pollucis vel in censu publice. Sed quod Mynsingero & Corasio placuit hunc locum accipere de vedario, quem nos em postreuter dicimus, id veram esse credito Coras. l. Mis. c. 10. Myns. in addit. ad Zas. lit. B. Budau hic Zas. n. 16. Duaren. c. 4. Cujac. 13. obs. 29. Haersolt. de act. n. 8.

G. Veluti uxorem ducens. Rusticitas enim esset, si quis inter lata & jucunda citaretur; ut ajunt Dd. item alia quadam quae recensentur in l. 2. 3. 4. & 22. h. t. Quibus addit Zasius etiam Doctorandum, quamdiu Doctoralis pompa durat. Vide quae nosmet ad allegatas ll. tradidimus.

T H E S. IV.

Sine jussu Praetoris in jus vocare non possumus generaliter omnes eas personas, quibus reverentia praestanda est, A. veluti parentes, B. patronos, C. praecptores D. adeo ut qui contra faciunt, pænali 50. aureorum judicio teneantur E. Sed an dominum sine venia vocare possit vasallus? F.

A. l. 13. h. t. reverentiam intellige, non quae adversus homines honoratioris velati senes honestate suadente adhibetur: sed quae juris necessitate debetur, quemadmodum generalitatem hanc recte restringit Duaren. ad h. t. c. 4.

B. l. 4. §. 1. & seqq. h. t. Ratio est in persona & reverentia hujusmodi personis debita. Ceterum quod dicitur, parentes in jus vocari sine venia non posse; non de quibusvis liberis accipiendum est, sed de liberis justis emancipatis, & injustis, d. l. 4. §. fin. & seqq. h. t. Nam liberi, qui sunt adhuc in potestate patris, non possunt regulariter parentes in jus vocare, l. 3. C. h. t. l. 8. j. h. t. l. 4. de judic. Dn. Ludov. Schvartzmeier in l. fin. C. h. t. Zas. ad l. 4. n. 6. Duar. c. 4. Parentes accipe cujuscunq; sexus, cujuscunq; gradus etiam in infinitum, d. l. 4. §. 2. Haersolt. act. 8. n. 13. adeo ut patrem adoptivum quoq; non liceat in jus vocare l. 8. in pr. l. 51. in fin. l. 76. de cond. & demon. Nam legalis dispositio legales agnoscit filios. Naturalis vero vel hominis dispositio non item. Alber. Gentil. lib. 1. condit. Sed an noverca sine venia poterit in jus vocari? Nolim dicere. Quamvis enim noverca non semper sit mater, vide Zas. in parat. de inoff. testam. n. 21. ma-

tris tamen vicem semper sustinet. Vide l. 14. in fin. solut. matrim. Curt. Jun. in l. 1. C. h. t. Cacheran. decis. Pedemont. 31. Goëd. disp. Pand. 3. th. 8. Dissent. Eman. Soarez. Alciat. & alij, atq; cum ipsis Vult. disc. 1.

C. itemq; eorum liberos ac parentes, vide l. 4. §. 1. l. 8. & duas seqq. h. t. & quæ ibid. diximus. Nonnunquam tamen libertus patronum in jus vocare poterit; veicuti si patronus cõegerit ipsum jurare, ne uxorem ducat, l. 8. §. fin. h. t. Adde l. 6. §. 3. de jure patron. l. 3. Qui & à quib. manum.

D. Quidam prorsus negant hîc opus esse veniã. Alij distinguunt inter realem & verbalem in jus vocationem. Quidam inter civilem & famosam actionem. At quid prohibet, quo minus dicamus, sine veniã præceptorem in jus vocari non posse. Sunt enim parentes mentium, qui non esse, sed bene esse tribuunt, juxta magnum illum Alexandrum. Principes sanè, qui soluti ferè sunt legibus, & ipsi jura condunt, præceptores suos parentes nominant. Sic Alexander Vlpianum nominat parentẽ suũ in l. 4. C. de locat. Sic Theodosius ad Ausoniũ scribit, parens jucundissime. Nim. his DEVS faciet benè, qui præceptores suos venerantur. Quod etiam Iuvenalis innuit in Satyr. 7.

Dij majorum umbris tenuem & sine pondere terram
Spirantesq; crocos & in urnã perpetuum ver.

Qui præceptorem sancti voluere parentis Esse loco.

Breviter non sumus adversus Damascenum Persici. Vide Dd. in §. penales, Inst. de act. Menoch. de arbitr. jud. q. lib. 2. cent. 5. cas. fin. Duaren. in c. 4. Hedeman. disp. Pand. 4. th. 10. & c.

E. quod judicium annale est, nec heredi, nec in heredem competens l. 12. l. penult. h. t. §. penales, Inst. de act. §. fin. Inst. de pen. tem. litig. Ut autem huic pena locus sit, duo spectantur, 1. Prohibitam personam in jus esse vocatam. Deinde non esse petitam veniam. De dolo hîc non queritur, nec rusticitati parcitur, arg l. 16. De in jus voc. Vultej. ad §. penales n. 24. Inst. de act. Est autem pena privato præstanda. Proinde non potest à judice nõ quidem principis rescripto remitti, l. 2. C. h. t. licet à privato remitti queat. Vide quæ diximus ad l. 11. ff. h. t. Ceterum per aureos intelligunt pleriq; Rhenenses: quorum septuaginta duo faciebant de jure Iustiniano libram auri, l. quotiescunq; C. de susceptor. præpositor. De qua re scripsit omnium optimè Henric. Bocer. de donat. c. 3. nu. 19. Hodie bes sive sedecim semuntie constituunt marcham: Ducatus autem habet drachmam. Igitur 64. Ducati constituent marcham. Duæ verò marchæ constituent libram, sicut annotavimus ad l. pen. h. t.

F. Quidam

Quidam interesse putant, an controversia de re feudali sit an seculi.
 Alij, commiseritne dominus tale aliquid, quo ipso jure feudo ceciderit, nec-
 ne. Quidam inter vasallum superioris & inferioris. Quidam indistinctè
 docent, dominum à vasallo nunquam sine venia vocari posse. Quidam pla-
 ne contrà. Quinimò semper posse. Nos, quando versamur adhuc in scholis,
 dicamus facile sine venia dominum à Vasallo vocari non debere. 1. quoniam
 eas personas, quibus necessitate juris reverentia præstari debet, non licet in
 jus vocare, l. 13. h. t. At qui verò necessitate juris feudalis domino præstari
 debet à Vasallo reverentia arg. l. un. vers. si verò vasallus. De milite vasal-
 lo, qui contum. est, lib. 2. tit. 22. & c. Et quidem merito dominis præstant va-
 salli reverentiam, à quibus maxima beneficia sunt nacti. Deinde libertus
 patronum in jus vocare sine veniâ nequit. Vide supr. lit. C. E. nec vasallus
 dominum. Differentiam esse dicent. Nos nullam. Nam si satis in huma-
 num erat, patronum in jus obtorto collo rapere, Cur non ita sit in domino?
 Deinde si debuit adiri Prætor, ut cognosceret de genere & causa actionis,
 nim. ne persone, quibus reverentia debetur, famosis actionibus pulsaren-
 tur; l. 10. § 12. ff. h. t. Cur non idem recipiatur in domino. Deniq; suadet
 honestas, ut vasallus Dominum in jus sine venia non vocet. Vide Zas. ad l.
 generaliter h. l. tit. & in epit. feud. p. 7. c. ad quid ten. Vasall. Hartm. ab Epp.
 2. præct. 54. Oldentorp. class. 1. act. 4. Mynsing ad §. penales Inst. de act. &
 4. obs. 92. Geil de pignorat. c. 15. n. 4. Wesenbec. in parat. ff. h. t. nu. 6. & in
 tract. de feud. c. 9. Alciat. in l. 1. n. 13. C. h. t. Vult. disp. 1. circ. fin. Borch. de
 feud. c. 10. n. 38. Jacobin. de S. Georg. in tr. de homagio n. 26. & c.

T H E S. V.

In jus vocatio fieri potest ab actore eo vel solo, vel ju-
 xta ipsum à viatore; atq; si sequi vocatus nolle etiam manu
 injectâ, & ut loquuntur, obtorto collo.

*Hæc quæ posuimus contra Duarenum, Donellum, Robertum & alios;
 tam erudite disceptat Vultejus; ut ego quidem non putem, curæ præcium
 esse, quicquam huc apponere. Videat is ipsum magis discept. 1. pag. 20. seqq.*

T H E S. VI.

Quid autem si nolit sequi vocatus? neq; tamen etiam
 satisfacere? Quid etiam si vi eximatur è manu ducentis? Nim,
 illo casu judicis arbitrio mulctatur; A. Hoc penale ju-
 diciam in eximentem impediens me constitutum est. B.

B

Quid

Quid etiam si dubitetur, an is, ad quem vocatur, sit compe-
tens?

A. l. 2. §. 1. Si quis in jus voc. non jert. nim. si dolo malo non venerit; cum sc. deberet, & intelligeret etiam se debere. Alioqui remittitur ei nonnunquam. Vide Donell. 23. com. 10.

B. l. 4. Ne quis eum, qui in jus voc. In hoc autem judicio condemnatur eximens non ad id, quod revera debetur aëtori; sed cogitur prestare summam in libello petitam, licet eam vocatus ne quidem debuerit l. 5. §. 1. cod. ubi diximus. Adde Duaren. ad tit. De in lit. jurand. & Haersott. act. 11.

C. nim. si dubitatur, adhuc venire debet; & excipere de incompetentiã; ut innotescat sitne incompetens, l. 2. si quis in jus voc. non jert. l. 3. & l. 5. De judic. Aliud est, si constet, judicem incompetentem esse, l. cum unus §. 1. de bon. auth. judic. possid. l. intra, de offic. præfect. urb. l. 1. §. fin. & l. seq. Ne quis eum qui in jus voc. l. fin. de jurisd. ubi diximus. Adde Duaren. ibid. & in c. 6. de in jus voc. Bronch. cent. 1. ass. 16. Vult. d. discept. 1. & ad l. 1. C. de jurisd. Schvartzmeier. De in jus voc. pag. 6. & seq.

T H E S. VII.

Hæc de in jus vocatione. Citatio est ad ipsum, qui vocandi potestatem habet in judicium facta vocatio. Atq; vel Judicialis, vel Extrajudicialis. Extrajudicialis est, de re quavis alia, quam quæ judicialiter controversa sit, ad judicem vocatio.

Dicant alij judicialem actum; omittant nim: unam speciem; Confundant citationem cum in jus vocatione; faciant quod lubet. Permittant tamen nobis, ut Vultejum sequamur, qui nostro quidem judicio hæc & alia de citatione scripsit optimè lib. 2. I. R. 28. Permittant ut cum ipsis Gailioq; dicamus, non esse actum judicialem; proinde die feriato decerni etiam in domo posse.

T H E S. VIII.

Judicialis citatio est citatio facta à judice in causâ controversâ judicialiter; atq; ratione formæ dividitur in Publicam & privatam.

Hæc iterum habet Vult. d. lib. 2. c. 28.

T H E S. IX.

Publica fit per edictum vel per proclama A. Privata
verba-

Verbalis vel realis. B. Verbalis vel voce fit vel scripto.
C. Realis manus iniectione D.

A Per Edictum fit, velut eum scriptura publicè affixa per judicem ordinarium quis citatur. Proclamate fit per præconem publicè citationem denunciante: quæ utraq; paribus passibus ambulat; & tunc demum locum habet, cum aliter aliquis citari nequit. Vide Nov. 112. c. 3. Marant. in Specul. p. 6. §. porro, VVurmser. tit. 6. obs. 8. Illud hic disputant Dd. quamdiu debeat Edictalis citatio affixa manere in publico loco? Et concludit Menochius in libris de arbitr. judic. quest. lib. 2. cent. 5. ex Marantæ Bartoliq; traditis relinquendum hoc esse judicis arbitrio.

B Quod fit verbalis, consentiunt omnes. Neg; negari potest. Vtrum fit realis? Nondum omninò convenit. Magnus vir dicit realem citationem, id est, prehensionem nullam esse in jure nostro & inductam à Dd. ex non benè intellectâ l. 8. C. Quom. & quando jud. Id ipse in com. de distrib. jur. th. 141. Quod serè sequitur alius eruditus vir disput. 4. Pandect. th. 4. potissimum per c. 12. Gell. lib. 13. Noct. Attic.

Nos videamus si sit citatio realis?

Et esse citationem specialem confirmant l. 13. §. 2. de injur. l. 10. §. 16. Quæ in fraud. credit. l. 6. de offic. proconsul. arg. l. 7. §. fin. de accusat. l. soleat. De custod. & exhibit. reor. auth. si verò, C. de adult. auth. qua in provincia C. ubi de criminib; agi oport. l. sed eximendi & ne quis eum &c. l. pleriq; ff. h. t. Nov. 134. c. 5. Et usus contestatur atq; quotidiana experientia, si rei contumaciter nolint parere, tum à lictoribus duci. Et hæc est realisq; citatio. Vide omninò Ludov. Schvvarzmeierum, de in jus voc. pag. 13. Vide decis. Capelle Tholosan. q. 302. Damhoud. in pr. civ. c. 64. & in prax. crim. c. 16.

C. Recte. Nam verba sunt interna. Nam sermo est prolatus, & in mente reservatus. Prolatus vel voce vel scriptura. Sic etiam epistolæ & literæ dicuntur loqui &c. Vide l. 33. de in jus voc. l. cessante c. Quom. & quando jud.

D. Et hæc fit regulariter in criminalibus causis. Marant. d. p. 6. memb. 1. Clar. lib. 5. §. fin. q. 28. Cujac. in d. Nov. 134. In civilibus nonnunquam, puta si debitor de fuga suspectus sit. d. l. 10. §. 16. Quæ in fraud. cred. Et cum sit severior, non habet locum in muliere, infante impubere, Doctore & milite, ex traditis Dd. de quib; Gail 1. obs. 48. Sed nec capi

possunt, qui ad statuam principis confugiunt, si fortuito casu deliquerint, Exod. 21. l. 2. C. de his qui ad Eccles. l. non contradicit ad l. lul. Maj. Coras. 5. Misc. 23. Clar. d. §. fin. quest. 30. Quid autem si hoc modo citatus ministris resistat? Ni possit aliter capi, poterit occidi, l. si servus, C. de his, qui ad Eccles. confug. Althus. lib. 2. l. R. c. 17

T H E S. X.

Ratione effectus citatio dividitur in simplicem & peremptoriam. Simplex est, quæ citatum non prius contumacem facit, quàm tertiò facta fit. Peremptoria, quæ in se particulam peremptoriè & tantum temporis quantum aliæ tres citationes continet; atq; si hac citatus emanat, proceditur contra ipsum in contumaciam.

l. 8. C. Quom. & quando jud. l. 68. l. 71. de judic. l. 53. §. 1. de re judic. & ibid. Zach. Vultei d. lib. 2. c. 28. Althus. d. lib. 2. c. 17. adde VVurmser. tit. 6. observ. 1. & seqq. An autem tria edicta peremptoriū precedere debeant? Contra Robertum rectè negat Vult. disc. 1. Ex ordinatione Electorali omnis citatio cum particula peremptoriè concipienda est; ut patet aus der Ordnung der Churf. Sächsischen Obern Hoffgerichts zu Leipzig. Iam de jure civili 30. dies dantur peremptoriè citatis; de jure Saxonum sex septimana. Vide Hartman Pistor. lib. 1. q. 3. n. 9. Vtrum autem hoc tempus ex causâ iustâ possit à iudice extendi, vel abbreviari? Vide quæ disputant DD. in c. 1. x. de dilationib. & adde processum Chil. König c. 27. §. vnd alles Heroben gesagt.

T H E S. X.

Hæc de specibus citationis. Secundum partes citatio in duobus consistit, nim: in ejus conceptione, & conceptæ expeditione. A. In conceptione sex requiruntur. 1. Nomen judicis. B. 2. Nomen citati. C. 3. Nomen actoris. D. 4. Causa ob & ad quam citatur, E. 5. Locus. F. 6. Tempus. G.

A. Vult. d. c. 28. n. 21.

B. Mentò. Nam quomodo aliàs citatio salvâ conservaretur, errore in nomine judicis commisso? Deinde quomodo citatus sciret, an iudex, qui citavit, sit competens? Tertiò quomodo aliàs sciret, se mandato iudi-

cis cita-

cis citatum esse? Addunt iidem & aliam rationem ex. c. Cum in iure x. de offic. deleg. c. 2. de dilat. Vide Schvartzmeier. fol. 14. & seqq. Adde Tiraquell. in l. si unquam. C. de revoc. donat. Fr. Mar. in decis. q. 119. in 2. parte. C. 1. ne fraudi locus relinquatur per c. cum in multis, de rescript. in 6. 2. quoniam contra non nominatū non potest in contumaciam procedi. Gail. 1. obs. 49. n. 4. Idq; tam est verum, ut verum etiam sit, si plures citari debeant. Quid autem si collegium vel Vniuersitas esset citanda? Putant sufficere mentionem in genere fieri collegii vel vniuersitatis. Schvartzmeier pag. 17. Vide Ludov. Rom. sing. 756. Guid. Papæ decis. 321.

D. Etiam rectè semel ut reus deliberare possit, velitne cedere an e-
dere. Deinceps ut sciat, si citatio per actorem à iudice sit postulata, per l. 4. §. hoc autem, de damn. inf.

E. Ratio in c. praterea x. de dilat. Mynsing. cent. 5. obs. 85. Quid autem, citatus est aliquis ad certam causam, poteritne cogi ut respondeat ad aliam? Negabimus per l. 5. in pr. Quod vi aut clam l. 2. §. 3: ibi: quoniam ad aliam, de iudic. l. prolatam C. de sentent. & interlocut. Que sententia præ iudicio Camere confirmata est teste Gail. 1. obs. n. 7. Estq; juri Saxonico consentanea p. 2. art. 2 in verb. Herr Richter mir ist hierumb nicht her bescheiden. Dissent. Dd. communiter, & Marant. p. 6. t. de citat. n. 13.

F. Decisio in l. si ut proponis C. Quom. & quand. jud. l. aut qui aliter §. 1. Quod vi aut clam. Ratio decisionis una, ut constet reo, sit ne iudex fines jurisdictionis suæ transgressus, alia, quo possit in loci qualitatem inquirere, per clem. pastoralis §. notorium, de sent. & re iudic. c. venerabilis §. & hoc ipsum. de sentent. excommunic. Quid enim si locus sit inhonestus l. 21. §. 11. de arbitr. Quid si contagiosus? Gail. 1. obs. 52. n. 10.

G. At quale tempus? Nimirum vide Nov. 33. e. 2. §. 1. Boër decis. 235. Hodie secundum locorum distantias longus vel brevis terminus reo constituitur. Cammerg. Ordin. p. 3. tit. 2. §. Was auch nach dem brauch &c. Quid autem, potestne quis citari ad diem feriatum? Potest quidem sed ita tamen, ut die sequente procedatur, l. fin. C. de ser. c. cum dilecti, de accusat. & ibi Canonistæ, Gail. 1. obs. 53. Sane hoc extra dubium decerni posse citationem die feriato ad diem non feriatum; Et ratio, quoniam citatio non est judicialis, Gail. d. lib. 1. obs. 53. n. 5. Quid autem si omnino facta sit ad diem feriatum, ut eo procedatur?

Distinguo inter ferias solennes sive festos dies, & alias ferias, puta messis vindemiarum atq; nundiarum. Nim. ut constat. l. 2. & l. fin. C. de fer. cum l. 1. §. 1. & l. 6. ff. eod. Adde Donel. 27. §. comm. 7. & Gail. d. obs. 53.

Qui poteritne citatio fieri ad horam? Et servatur ut citentur Zu früer tagezeit. Vide tamen Panormitan. in c. consuluit, post pr. de offic. deleg. Quid autem si non compareat hora certâ, sed fortassis Nach mittag? Resp. Sufficit si compareat ante noctis tenebras eo die, quo index possit actum iudicii perficere. nam totus dies est pro citato. Itaq; concludunt DD. per. §. omnis stipulatio, vers. at ne eo quidem tempore, de offic. deleg. Quid etiam si citatus sit aliquis coram diversis iudicibus eodem die? Guido Pa- pe decis. 276. & 4. 19.

THES. XII.

Concepta citatio expeditur commissione iudicis. A. executione citationis. B. & relatione. C.

A. l. sed si hac §. prator ait, De in jus. voc. l. cum clericâ C. de Episcop. & Cleric. l. fin. C. de exhib. transmitt. reis Gail. obs. 48. & 54. Myns. obs. 10. Caterum commissio non presumitur. Et itaq; probanda. Vide Gail. & Mynsing. dd. locis.

B. sive intimatione sive insinuatione citationis. Atq; hac ipsi citatio personaliter fieri debet. Quid autem si copia ejus haberi nequeat, domui poterit affigi citatio; nonnunquam etiam civitatis portæ; nonnunquam Ecclesie. De quo scripsit optime Zas. ad l. 4 §. 5. de damno inf. adde Gail. d. lib. 1. obs. 54. Mynsing. cent. 2. obs. 69. & cent. 3. obs. 73. & 39 Cephal. cons. 2 63. in 2. volum.

C. quâ executor describat, quo die citationem insinuaverit, & quid citatus responderit, l. hoc autem §. 1. Ex quib. caus. in poss. eat. l. nemine, de exhibend. reis. Cammerg. Ordn. p. 1. lit. 38. Gail. d. obs. 54. Nuncio autem hic de citationis executione simpliciter fides habetur. Atq; hac relatio ita facta ad acta registranda est. Vide Gail. d. obs. 54. Myns. cent. 5. obs. 77. 78. & 79. & cent. 5. obs. 51. & cent. 6. obs. 10. Adde omnino Ludov. Schvartzmeierum in d. h. t. de in jus voc. pag. 9. & 10.

THES. XIII.

Cæterum non solum citatio necessariò fieri debet, A. sed etiam hoc modo; adco ut si supradictis partibus non

non

non constet, invalida sit, nec ullum contumaciæ effectum
producat. B. Nisi tamen citatus compareat, Tunc enim
citatio quæ nulla erat, comparitione convalescit. C.

A. Nam aliàs ipso jure nulla esset sententia. Est enim citatio juris
naturalis, proinde nec rescripto principis tolli potest; nec statuto; nec à
Pontifice, de quo latè tractant Dd. in clem. pastoralis, de re judic. Tiraq. in
tr. res inter alios acta & c. Menoch. lib. 1. de arbitr. jud. q. 17. Et adde quæ
refert Nobilissimus IC. Arnoldus de Reyger disp. process. 2. th. 6. & 7.

B. Mynsing. cent. 2. obs. 18. Gail d. obs. 48.

C. l. 1. §. sed si, de fer. Mynsing. cent. 3. obs. 90. & cent. 4. obs. 54.

THES. XIV.

Fit autem citatio potissimum, ut citatus compareat,
& ad defensionem se præparet. A. Quod si igitur cita-
tus protervè non compareat, in contumaciam ejus proce-
ditur. B. Et si quidem Actor est contumax, reus petit, ut
ab instantiâ liberetur, & actor in expensas condemne-
tur. C.

A. Vult. d. lib. 2. c. 28. cir. fin. per d. Clement. pastoralis, de re judic.
Mynsing. cent. 4. obs. 33. & 34. & cent. 5. obs. 85.

B. Et hic effectus citationis, de quo Chilian. König in process. c. 34.
Wesenbec in parat. C. de in jus voc. n. 12.

C. Cammerg. Ordn. p. 4. tit. 42. §. fin.

THES. XV

Sin reus contumax fuerit, in causâ proceditur, A
vel agitur ad immisionem in bona. B.

A. l. 13. §. 3. C. Quom. & quando jud. Cammerg. Ordn.
p. 3. lit. 43. §. 3. Gail. 1. obs. 60. 74. & 80. Chil. König c. 37.

B. Ex primo vel secundo decreto. Quæ omnia nervose & eruditè
congesit Dn. Arnold. de Reyger d. disp. 2. th. 27. 28. & 29. Nec igitur
huc exscribam.

THES. ULT.

Illud hanc disputationem claudat arduum sanè diffi-
cileq; , si propter contumaciam sequestratio judicialis sit
permissa? Permissamq; negabimus.

PET

1. Per c. 1. de sequestr. possess. 2. quoniam sequestratio
imò non est modus coërcendi contumaciam, nec probari potest per c. 2.
De dol. & contum. 3. quoniam in necessatio quoq; sequestro utriusq;
partis consensus requiritur, à lege saltem prescriptus. At nulla lex hinc,
quæ hunc consensum presumat. 4. quod contumaces convicti dignâ
pœnâ debeant affici. Alias rationes pluresq; videbis apud Goed. de seq.
possess. c. 1. axiom. 3. n. 106. & seqq. dissentiunt Corass. 3. Misc. 2.
Clud. de seq. c. 5. cas. 5. cas. 21. n. 90. & seqq. Coler. de process. execu-
tiv. p. 1. c. 2. n. 84. & seq. per c. 1. & 2. x. de sequestr. possess. ex his, de
dolo & contum. & alias satis ponderosas rationes, ad quas
tamen eruditè respondet Goedd. d. loc.

Δόξα τῷ Θεῷ.

